17 [illegible] de la [illegible] en 1677.

18 [illegible] de la [illegible] de la guerra [illegible]

19 [illegible] de [illegible] en 16[illegible]

21 [illegible] Bilbao de 18 de Enero de 17[illegible]

21 [illegible] de la Santa [illegible]

22 [illegible] de la [illegible] de Vittoria en 17[illegible]

23 [illegible] de la Santa de [illegible]

24 [illegible] en 17[illegible]

El muy Rdo. P. Mro.
D. Fr. Diego de Cádiz
Misionero Apostolico y fue de
vida muy virtuosa y Religion
fallecio en el año de Dcccxiii
Torre Jorda y Enero ocho del año
Pasado de 1817

Ysla de Leon

Reyno de [illegible]

y Obispado [illegible] Reyno de [illegible]

1817 [illegible]

1. papel 1°.

ORATIO SEDENTE IN SVIS GENERALIBVS COMITIIS RELIGIOSISSIMO CARTVSIENSIVM SENATV.

Anno 1645

HABITA

PER V. P. D. DIDACVM DE Medrano, Regalis Cartusiæ Paularitanæ Professum, Priorem Cartusiæ de Xeritio, aliàs domorum de Aniago & Granatæ.

REVERENDISSIMO PATRI NOSTRO D. LEONI Texier almæ Cartuſianorum Matris admodum digno Priori, ac totius Cartuſianæ familiæ oculatiſſimo Antiſtiti.

SEMEL cum Deo ſuo, Reverẽdiſsime Pater, verba fecerat Abraham, & cum iterum aggredi affectaret id ipſum: ſic exorſus eſt. *Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis, & cinis*: credens in primo Dei favore, duplicandi illum, imbibitam eſſe vim. Et cum non ſolúm apud divinæ munificẽtiæ largitatem, verum etiam in nobiliſsimo (licet humano) corde aliam excipiendi gratiã, in vna accepta eſſe ſeminatã ſpem, expertũ ſit: non mirum, ſi quam ſemel Orationem Tuæ Magnitudinis animo, linguá affixi balbutiẽti, iterũ calamo inducam in[illegible]olito: ſperans illam nũc in Tuæ Benignit[illegible]ulis honorem cumulatum invenire, q[illegible]c ei auribus placidiſsimis prębuiſti.

Gen. 18. 27.

Plin. lib. 5. ep. ad Fabat. Idem lib. 3, ep. ad Macri.

buisti. Teste quidẽ Plinio, *Nescit semel incitata liberalitas stare, cuius pulchritudinem vsus ipse commendat: & primum audiẽdi beneficium subverteres, nisi secũdo videndi cumulasses illud.* Itaq; pręceps, sed sine audacia, quia pulvis: & audax, sed sine præcipitio quia cinis: nam cũ in te verificatũ viderim proverbiũ istud *QVANTO CAPVT ALTIVS, TANTO COLLVM MOLLIVS:* in me quoq; vidi ab amabili, & innata tibi humanitate amplitudinẽ Tuæ Dignitatis obũbratam esse. Propter quod audaciæ meæ non flagitans veniam, sed salutans, his etiã verbis Chrysostomi me munio. *Ne putes Domine me ignorare me ipsum: scio enim, quod terra sum, & cinis: sed sicut hoc scio, ita nec illud ignoro, quod copiosa est tuæ clementiæ magnitudo. Idcirco iterum oro.* Et ego quoq; meam Orationem itero. Vale, & vive in ęvum Cartusiensiũ vita. Ex hac Cartusia de Xeritio, die xxjv. Augusti. Anno M.DC.XL.V.

Chrys. ho. 42. in Gen. col. 6.

V. R. P.

Obsequentissimus Servus.

Fr. Didacus de Medrano
Prior domus de Xeritio.

THEMA.

Audite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde excisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum. Ex Isaia Propheta, cap. 51.

DEBILIS ingenij mei cōscius cū ipse sim mihi, Reverēdissime Pater, & Patres admodum venerandi, satisq. colendi, audito vestro mihi imposito ad hanc orationem faciendam insperato præcepto: ilico emarcuit cor meum, & tabescens in me anima mea ad mortem vsq; lassata est. Neq; hoc animi mei deliquium quasi hyperbole librandum, sed sicut domestico exploratum attactu ponderādum est. Nam iudice Divo Hieronymo (cuius verbis loquor) *Grandes materias ingenia parva non sustinent, & in ipso conatu vltra vires ausa succumbunt.* Præsertim (amplissime coetus) quia tunc audivi Salomonem hæc verba

Hieron. ep. ad Heliod. epit. Nepo.

Prover.17. vers.28. inculcantem mihi. *Stultus si tacuerit sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua intelligens.* Ergo à contrario sensu, nil aliud est loqui stultū, nisi proprium ignorantiā propalare? Quod quidem rubore percussa perculsaq; angore ipsa natura horret. Vnde humanarū rerum iusti appretiatores mori magis, quā ignominiose vivere, vltraneo cordis amplexantur impulsu. Gen 30. vers 1. *Da mihi liberos, aliquin moriar* aiebat infœcunda Rachel, malens doloribus mortis quàm opprobrio sterilitatis succumbere.

Sed quorsum hęc? Quo dedecore qua infamia, vel quibus vexor convitijs? Nunquid in honore positus non intelligo? imò quia intellexi, dolui: & doleo quia intelligo impræsentiarū illam Ecclesiastæ lamentabilem apparuisse visionem. Eccles 10. vers 5. *Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorē egrediens á facie Principis: positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum.* Hoc est (in mente & verbis iansenij) *Non decet stultum oratio præstabilis, & gravis quæ tractat de rebus ad salutem reipublicæ spectantibus.* Vos autem (Religiosissimi Patres) divitiis sapientiæ præditos & thesauris virtutū decoratos quis non mirabitur? Imó & laudabit tolerantiā vestram, qua ori vestro digitum imponentes, digeum duxistis audire stultum verba facientem. Chordæ quidem sunt verba, quæ velut in cithara dulcissimam, & simpaticam in oratione debent modulationem personare: & os stulti nec dedit, nec dabit vnquā eloquia pulchritudinis.

Præterea illud Pythagoræ symbolum *ANNVLVM ARCTVM NE GESTATO*: quasi dicat: noli date operam operi, ex quo tibi oritur afflictio, me valde premit, contristat, angit, cruciat. Ignoro enim

enim quã doctrina, quã eloquentia, quibus exemplis, quo sale, quo lepore, quibus labijs & linguis, etiam si centum linguas, oráq; centum haberem, præsentis Provinciæ structuram, tanto Præside, taliq; auditorio dignam formare potero. Quo in suspendio, hinc ignorantia mea, inde obedientia vobis debita in campo cordis mei acriter dimicãtibus angustiæ sunt mihi vndiq; inobediens peribo si non fecero: si faxo, stulti ignominia vapulabo, & vt (carmina sunt Nazianzeni)

Vt si quis sevum cupiens vitare leonem
Vnguibus occurrat furibundæ protinus vrsæ. *Naz. carm. 9. quod est de reb. suis, prope fin.*

Nescio quid faciam, vel quid cõsilij capiam Quo me vertam Patres conscripti? Quo me vertam, vt valeam victoria frui? Sed victoriam inobedientia contemplans: nam *vir obediens loquetur victoriam*: *Prov. 21. vers. 28.* malo hic stulti coloribus rubescere, quam inobedientiæ piaculo inexpiando subiacere. Tandem ne mea crassa Minerva vestris infesta sit auribus, vnam à vobis Salutationẽ Angelicam efflagito, qua cœli, & terrę, Regina venerata, cum ipsa sit gratia plena, gratiæ suæ rore labia mea perfundere dignetur, vt valeã & vestris, & votis meis abũdè facere satis. *Ave Maria.*

THEMA.

Audite me qui sequimini quod iustum est, & reliqua. Luco & capite vt supra.

SOlicitè mihi, & non minus anxiè cogitanti, Reverendissime Pater, ac Patres summa acclamatione digni, quem hodie scopum dicendi

 assume-

assumerem, in mentem venere pre assumpta verba plena mysteriis, quæ Isaias Propheta hominibus Deum amantibus, in typum antiquatum virtutum imitandum aptè proposuit. Desiderabam enim in gratiam Cartusianæ antiquitatis, non adumbrationē rudem, vel enigmaticā vmbram, sed solidum exemplar, & speculum suis luminibus radians propalàm ita collocare, vt currētibus vobis in sacri Ordinis nostri legibus conservādis calcar addidissem. Idcirco arrigite aures, & hic animis adesse curate, quia nō me, sed Ecclesię sapiētissimos Doctores & alios magnę, æstimationis viros, in thematis nostri explicatione estis audituri.

Attendite ad petram, vnde excisi estis, attendite ad Abrahā patrem vestrū. Vocē & verba tribuēs Isaiæ, loquitur ipse Deus Apostolis suis, & omnium credentium choro, vt Abrahæ fidem, & alias ipsius virtutes imitantes, ipsum etiam in re promissionibus accipiendis æmulentur. Quis veró poterit omnia Abrahę imitatione digna, in tanta temporum angustia ponderare, cum nec calamo scribæ velociter scribentis numerare valeat? Vir nobis perfectus, quem imitemur proponitur. *Magnus* (labia loquuntur Ambrosij) *Magnus planè vir, & multarum virtutum clarus insignibus, quē votis suis philosophia non potuit æquare. Deniq; minus est, quod illa finxit, quam quod iste fecit.* Quocirca, inclyta Cartusianorum cōgregatio, omnibus virtutibus Abrahæ silentio à me veneratis, in sola ipsius obedientia tribus temporibus incunctanter exhibita, duxi operæ pretium gradum figere.

Ambro. lib. 1. de Abrah. cap. 2.

Capite duodecimo Genesis dixit Dominus ad Abraham. *Egredere de terra tua, & de cognatione*

Gen. cap. 12.

tua, & de domo patris tui. Quantũ asperitatis, quantumq; mœroris, patriam, & patres relinquẽs hominis natura patiatur, si quis est ita visceribus compactus ferreis, vt neq; sentiat, neq; videat; audiat Poetam canentem.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non sinit esse sui. Ovid. de Pon. eleg. 4. vers. 33.

Audiat Romanæ eloquentiæ rivum Ciceronem. Cic. *Patria nil dulcius, nil charius in vita esse debet. Nullus locus domestica sede iucundior.* Audiat Sertoriũ magnis cumulatum victorijs qui dicebat *Malo me Romæ ignobilissimum civem, quam exulem omniũ aliarum civitatum Imperatorem nominari.* Erasm. lib. 5. Apot. Nec mirum quoniam olim tot ærumnæ exilium comitabãt, quod Romæ exiliũ erat capitalis pœna, & exilio mulctatus capite damnatus dicebatur. Calep. verbo, exilium. Verùm istos si quia Ethnicos nec audire licet, nec libet, sapientissimum Christianum auscultate, *Vnicuiq; patria sua charis est: aves ipsæ per aera vagantes proprios nidos amant, erratiles feræ ad cubilia sua dumosa festinant, voluptuosi pisces cavernas suas indagatione perquirunt.* Casiod. lib. 1. cap. 21. Hactenus Casiodorus. Nam extra patriam omnes homines, quos oblectant Lenocinia visus, & oculorum pabula pelliciunt, aspicientes compaginem civitatum, ædes magnificas, plateàrum venustatem, fluminum cursus, & his similia, admiratione stupescunt: sed in patria omnia non solum mirantur, verumetiam ita prosequũtur amore, quod potius in patria flere, quam exules ridere velint. Ideoq; Philo Iudæus maiorem in exilio, quam in morte calamitatem reperiens, suæ speculationis sic enunciavit rationem *Siquidem mors calamitatum finis est: exiliũ verò non finis, sed novorum* Philo, lib. de Abra. fol. mih. 235.

 malorum

malorum initium: dum evitata una sensu carente, innumere mortes sentiuntur. Miserum exilij infortunium; vt in vno teste, multis comprobetur; populum Iudaicum in potestate Romanorum exulantem adduco, quem Sanctus Hieronymus ita scripsit patriam dilexisse, quod pretio dato militibus, emebant libertatem introeundi in Hierusalem, vbi brevi hora suum exilium lacrymis deplorabant amaris. Qui mæstitia in patrio foco plus anhelabant lætari, quam in exilio omnibus abundare delitiis: nam patriæ fumus semper est igne alieno luculentior. Hinc proculdubio deducendum est, si relinquere patriam est difficile: difficilius erit cognatione carere, & difficillimum é paterna domo exterminari. Quas ob cruces fortasse, vt Abraham tot, & talia vincere posset difficilia, magna sunt ei p ęmia promissa. Ipse autem (vt Augustinus, & Chrysostomus notarunt) *Mox vt audivit: Egredere de terra tua, non moras nexuit, non distulit: sed statim audit, surgit, currit, festinat accelerat. Et obediens imperanti, quo imperatum erat fecit.* In quo prima & magna Abrahæ obedientia nitescit.

Hieron. in c. 1. Sophon. post verba vox diei Dni.

Chrys. ho 31. in Gen.
Aug. tom. 10. serm. 1. Dom. 4. post epiph.

Secunda, & maior illa fuit, qua sub pœna mortis præputium proprium & filiorum suorum circumcidendi pręceptum Abrahæ datum est. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Cuius præcepti severitatē indigitans Sanctus Cyprianus sic alloquitur. *Reliquæ gentes tam mandatum, quam factum irrident, & Deo asserunt minime convenire, vt Salvatoris benignitas plagis infantium delectetur, & immeritos in ipso vitæ initio periculo mortis addicat:* Hæc nomine gentium Cyprianus. Re ipsa mehercule cultro lapideo

Gen. 17. vers. 10. 14.

Cypr. serm. de ratio. circumc. fol. mihi 295.

carnem abſcindere vivam, innocẽtem, puerilem, quaſi cruentum facinus odit, plangit, & ſtupet inuſta in animis hominum benigna conditio. Præcipuè cum tale vulnus internos, & externos magni angoris cruciatus ſemper producat. Cuius veritatis teſtes ſint Hemor, Sichem, & omnis eorum populus à paucis hominibus trucidati, quia ſanguinolenta lauciatione præpediti, defendere propriam vitam non valuerunt. Inſuper præputij truncatio ſordidæ mentis ſymbolum ingenerat. *Circumciſio teſtimonium mentis impuræ, iam iamq; illis immitere ſupplicium denotati vulneris inflictu minatur*, in ore Sancti Zenonis. Tum quia mortales omnes omnia quæ illos torquent, vel deformant, omni qua poſſunt vi à ſe ipſis conantur arcere: ideo perſpicuum eſt, circumciſionem vtrumq; continentẽ, carnis videlicet percuſſionem, & percuſſionem mentis, Abrahę animam pręcepto non parricidi miniſtraſſe. Sed nũquid illam arripuit? abſit. Statim *eadem die circumciſus eſt Abraham, & Iſmael filius eius.*

Gen. 34. verſ. 25.

Zeno hom. 9. in Exod. to. 2. bibliot. 88. pag.

Gen. 17. verſ. 27.

Tertia, & maxima Abrahę obedientia in filij immolatione magno cum lumine ſplendet. Quis enim niſi durè lapideus & intimis ſpoliatus viſceribus facile factu iudicabit, proprium filium, inculpabilem in ſenectute natum magnopere dilectum, propria litare manu? Ita omnino difficilimum eſt adoriri flagitium inhumanum filicidæ, quod in tali cogitatione rigeſcunt manus, cõtremiſcunt oſſa, oculi naufragium faciunt, & hominis cor exanimatur. Quæ omnia Guillelmus Pinus in eſſe nos docet in repetitione nominis Abrahę, dum vocatur à Domino *Abraham, Abraham*:

Gen. 22.

ham:

Guill. ibid.

hani: quoniam repetitio nominis facta est ad excitandam voluntatem tam difficilis iussionis. Istam difficultatem in sacrificio Iphigeniæ digito insinuat Euripides: dum Iphigeniam subiacentem ictui minanti mortem, in oculis magnorum Principum describit. Quorum alij tragico spectaculo attoniti, alij penitissimis cruciatibus gravati, alij mœrore confecti, & omnes quasi animi defectione suffocati lugubre extrahebant lamentum sacrificium infandum aspicientes. At pater Iphigeniæ Agamemnō victus paterna affectione, filiæ mortem intueri non valens, rivos aquarum ex oculis effundēs, & gemitus profundos iaculās ex corde, vultum retrorsum quasi exanguis posuit, & velis visum obtexit. Non autem sic Abraham, qui animo inconcusso, & gladio obedientiæ armatus, opus aggrediens horrificum, ita a se paternos avulsit affectus, qui effœminatis blanditijs commiserationem culpabilem in corde possent influere; quod nec verba dulcissimi filij interrogantis. *Pater mi ubi est victima holocausti?* aliquātulum magnitudinem nervosi animi eius demulserit. Hoc altè Chrysostomus perpendens, sic ratiocinatur. *Hæc verba poterant vel saxeam mollire mentem: non tamen adamantem illum subverterunt imo nec concusserunt. Quomodo enim non stupuit animus? Quomodo non nervorum robur elanguit? Quomodo desiderabilis filij aspectus illum non commovit? Sufficiebat hoc verbum Pater mi ad lancinandum iusti huius viscera. O, anime fortitudinem! O, spiritus soliditatem! O, religiosissimam animam! O, fortem mentem! O, ingens desiderium! O, rationem vincentem humanam rationem!* Pulchrè & disertè expensum & exclamatum est à Chry-

Gen. 22.7.

Chrys. ho. 3. in cap. 1. ep. 2. ad Cor. & ho. 2. in dict. Apost. de dormie tib. to. 3 col. 1055. & ho. 47 in c. 22. Gen.

Chryſoſtomo, & adhuc exclamare valet. Quomodo non avolavit à corpore anima, quãdo arripuit gladium, vt tam amabilem filium occideret? Verum enim veró, Patres, anima Abrahæ non avolavit à corpore, imó vires corporis tâm fortiter animavit, quód brachio extento enſem habẽti evaginatum, vibrantem, & Iſaac cervici imminentem reſiſtere potuit ſolus Deus. Quam ob conſtantiam repetitio nominis Abrahæ facta, ob arduam mactandi filium difficultatem iterata eſt ad reprimendam tanti viri promptiſsimam propenſionem parendi pręcepto Dei. *Abraham, Abraham ne extendas manum tuam ſuper puerum. Repetivit vocem* (verba ſunt Ambroſij) *Repetivit vocem tanquam veritus ne præveniretur ſtudio devotionis, & vna vox impetum ferientis revocare non poſſet.* Gen. 22. 11. Ambr. lib. 1. de Abr. c. 8.

Propoſitis iam publicé, præclara Cartuſiẽſium corona, tribus Abrahæ obedientijs: quid ſibi velint, & quid nos edoceant proponendum eſt. In illis nempe cenſeo vitæ Cartuſianæ primordia, incrementum, & perfectionem, non ſymbolicé, ſed practicé contineri. Quis enim noſtrum terram non deſeruit ſuam, quando in montibus ſtatuit Cartuſiẽſib⁹ inſtitutis ſtudere? Omnes nos egreſſi ſumus de terra noſtra: faxit Deus quod egreſsi ſimus iuxta ſanctorum Patrum iſtam ſpiritualem ſententiam.

Difficilis quæſtio à multis agitatur Doctoribus circa intelligentiam illius mandati: *Egredere de terra tua*: quomodo Abrahæ iam de terra ſua, hoc eſt, de Chaldæa, vbi natus fuerat egreſſo, egreſſionem de terra propria advenæ in Meſopotamia pręcipitur? Diverſi, diverſa ſentiunt: nec mea in- Gen. 12. Gen. 11.

 tereſt

Dion. Cartus. in c. 12. Gen.
Aug tom 5. lib. 16. de civ. Dei, c. 15 & to. 10. Ser. 51. Dominicæ Sexagintæ.

terest varias hic enarrare opiniones: sapientissimum Richelium nostrum consulat, qui alias scire vult præter istam Sancti Augustini, cuius hęc sunt verba. *Non vt corpus inde eiiceret Abraham, quod iam fecerat, sed vt animam evelleret. Terra nostra caro nostra est: & benè de terra nostra egredimur, quando carnales consuetudines deserentes, Christi vestigiis inhæremus.* Quibus Augustini in verbis egregie monemur corporis egressionem é patria flocci pendendam si virtutibus Christi anima nostra non adhæserit. Nam vt non nemo canebat.

Hor. lib. 1. ep. 11 vers 27.
Gen. 1. vers. 6.
Ps. 148. vers 4.

Cælum non animum mutant qui trans mare currunt.

Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis: dixit Deus: & protinus vna pars earum stetit supra ipsum Cœlum. *Aquæ quæ super Cœlos sunt laudent nomen Domini.* Nunquid domicilio aquarum mutato, & quasi terra in Cœlum commutata, aquę inhabitantes Cœlum, suæ conditionis vim, vel qualitates mutavere? Nullatenus. Nam (interprete Oleastro) *facto firmamento, seu divisione, non videntur aquæ mutasse naturam.* Ergo minime ex mutatione loci, sed morum, æstimandus est homo: quia homo terrenus in omni loco terrenum redolet hominem, si non mutaverit mores. *Nil* (ait Seneca) *Nil differt virum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces quocumq; illum transtuleris, morbum suum secum transfert.* Quod etiam Faustus Regiensis monachis improperat hac non dissimulata acrimonia. *Quid prodest quod discedis, qui vndiq; adstrictus es vinculis passionum? Quem hinc atq; inde circumvallant vitia sua? Nemo se fallat: non fugiet adversarium de loco ad locum, sed de vitio ad virtutem.* Quo documento innotescit optatam à Deo de

Oleast. in c. 1. Gen.
Sen. ep 17.
Faust tom. 5. BB VV. PP. p. 3. ser. ad mon. fol. 500. impres. Coloniæ 1618.

de terra nostra egressionem in passionibus animæ ab animo eliminandis ita consistere, quod quamquam à terra simus elongati, qui mansimus in solitudine, realiter vitam agimus *in terra deseria, & invia, & inaquosa*: nisi Psaltem divinum exequentes dicere valeamus cum ipso *á finibus terræ ad te clamavi.* Ps. 62.3. Ps. 60.3.

Quæ liquido in Abrahæ secunda obedientia carnem præputij sæviter amputante præclare demonstratur si fidedignus est Philo Iudæus brevibus verbis his multa complectens. *Per circumcisionem significari arbitror excisionem voluptatum, quæ mentē fascinant.* Et Philoni accinit Sanctus Ambrosius aiens. *Non incongrué intelligimus quia circumcisio corporalis signum est circumcisionis spiritualis. Circumcidamus ergo cor nostrum, nil corporeum, nil vile quæramus: vile autem omne terrenum.* Et terrenum Patres ita sine controversia vile, quod nihil in eo, nisi frutetum vilissimum lolium abiectum, & vepres nulla æstimatione dignę germinantur. Quæ ita gignuntur abunde, quod Sanctus Leo Papa plena voce potuit pronuntiare. *Terra enim carnis nostræ nisi assiduis fuerit subacta culturis, cito de segni otio spinas, tribulosq; producit.* Ex quibus omnibus constat circumcisionem externam Abrahę amaro impositam ritu, vmbram esse circumcisionis internę quam spirituales viri, alumni Cartusienses, in suæ militiæ profectu, constanti debent anhelitu exercere vsq; ad sanguinis effusionem, & pro perfectione comparanda non tantum vsq; ad sanguinis effusionem, verumetiam vsque ad filiorum suorum mortem acerbis viscerum morsibus affectam; veluti in tertia Abrahæ obedientia: cui filium

Phi. lib. 1. de circumcis.
Amb. lib. 1. c. 4. de Abr. lit. L. & Ser. 12. in Ps. 118. lit. F.
Leo serm. 4. de ieiun. Pent.
Gen. 22. 1.

filium

filiũ in monte propria manu vita privare mandatur luculenter apparet. An quia nos ex connubio filios nõ habemus, orbati filiis evadimus? Haud quaquã. Parvuli quippe nobis sunt, ex eorũ progenie generati, quã memorãs Psalmista cecinit: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petrã.* Et alibi: *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorũ.* Omnib⁹ nobis terra comes nostra parvulos, idest, licentiores affectus, propensiones illecebrosas, motus fallaces, gignit, parit, & nutrit; quibus quasi charissimis pignoribus corda nostra dulciter allecta, subdolè delusa, & furtive fascinata in baratrum dilabuntur, si gladio ancipiti tales parvuli adhuc in vtero matris suæ non iugulantur. Hanc eruditionem Sanctus Laurentius Iustinianus viris spiritualibus insinuat sic affatus: *Semper mens, vt victoriam obtineat, evaginatum spiritus teneat gladium ad vltionem adversariorum, atq; mox vt ipsorum parvulos exortos esse conspexerit, ad petram eos allidere non sit segnis.* Vtinam tale exercitiũ Cartusiani imitatione prosequentes Paulum exclamantem: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*: facere incessanter pręstemus, quoadusq; ipsius Apostoli verbis, & nostri cordis affatu fœliciter recantemus: *Vivo autem iam non ego: vivit vero in me Christus. Nostra autem conversatio in Cœlis est:* in quo Cartusiana Religio suum affixit scopum, conatum & brabium.

Ps. 136. 9.
Ps. 149. 6.
Laur. lib. de cust. connub. c. 7.
1. Cor. 9. vers. 27.
Gal. 2. vers. 20.
Phil. 3. vers. 3.

Et hæc sunt quæ themate nostro omnes Cartusienses Deus erudire vult, sed præcipue Prælatos: nam ipsis de terra sua non egredientibus, quis egredietur? Ipsis præputium cordis non circumcidentibus, quis circumcidet? Ipsis impuros

animæ

animæ suæ parvulos minime mactantibus, quis mactabit? In quorum fide, sacra in pagina legitur. *Egressus est itaq; Abraham, sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Lot.* Lot colligatus dicitur. In quo exempli vim sibi animos colligandi, quasi in magnete virtutem attrahendi ferrum, quis nisi excœcatus non videt? Et si excœcatus, oculabitur collyrio veritatis, si mente sequentia verba perpēdit *Eadem die circumcisus est Abraham, & Ismael filius eius, & omnes viri domus illius, tam vernaculi quā emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt.* Vbi notandum est, quod non tantum bonæ indolis homines, sed & infimę sortis, vernaculi, emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt, cernētes circūcisum Abraham Dominum suum. Nam asserente Claudiano.

Gen. 12. 4.

Gen. 17. 26.

Claud. de 4. cons. Honor.

Componitur Orbis
Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Vnde Sanctus Augustinus explicans hunc Psalmistæ versum: *Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te.* enucleatè probat Psalmistam hoc argumento Incarnationem Verbi æterni postulasse. Cuius humilitatem etiam à superbis hominibus imitandā esse indubitanter certiorat: quia Filium Dei ignobili carnis nostræ indutum saculo, humilitatem præcipientem vt Deus, & vt homo tale exhaurientem mandatum, quis contemplari poterit, & non imitari? Verba subijcio Augustini. *Quia humilitatem præcepisti, humilis appare, & tu prior imple quod præcepisti, & synagoga populorum circumdabit te.* Propter

Ps. 7. 8.

Aug. in Ps. 7.

ter

ter quod Patres dilectiſsimi, qui in his comitiis ſedetis conflaturi, & emundaturi aurum ex viſceribus huius montis Cartuſienſis emanatum, vobis thematis noſtri verba breviter applicare cōtendens, expando in oculis omnium exemplar vndequaq; perfectum, vt ex illo in vobis traſumptum affigentes, tāquam perpolitę imagines pulchritudinem, & ſplendorem radiantes, omnibus alumnis Cartuſienſibus lucida ſpecula ſitis.

Attendite ad petram vnde exciſi eſtis. Petra, quæ in vita Monaſtica nos genuit, eſt Magna Cartuſia. Nec abſonum à ratione ſi Cartuſiæ Magnæ dederim Petræ nomen. Siquidem Petra hieroglyphicum perpetuæ ſtabilitatis oſtentat. Qua de cauſa in Themate noſtro ob fortiſsimam in fide firmitatem vocatur Abraham *ſolida petra. Quidnam aliud petra niſi firmamentum, & ſtabilitatem affert?* dixit Valerianus Pierius edoctus forte à Sancto Patriarcha Iacob, qui petram in titulum, vel ſtatuam perennis memoriæ erexit. Cæterum cum ipſe Deus dixerit. *Cunctis diebus terræ ſementis, & meſsis, frigus, & æſtus, æſtas, & hiems, nox, & dies non requieſcent.* Et Seneca etiam ſic philoſophante: *Natura hoc quod vides regnum mutationibus temperat, nubilo ſerena ſuccedunt, turbantur maria cum quieverunt; flant invicem venti; noctem dies ſequitur; pars Cœli conſurgit, pars mergitur:* Digniſsimè, & merito, & iure Magna Cartuſia Petra nuncupatur, cum iam ſuper eam fere anni fluxerint ſexcenti, & tanto in ævo, nec viciſsitudo rerum caducarum, nec peſsima morum corruptio, nec fluxus, & refluxus incōſtantiæ humanæ, imo nec edax tempus (cuius famelicæ fauces, quaſi ſtructio camelus, quandoq; fortiſ-

Gl. in them. Lyra. Transl. 70. Pier. verbo, lapis, lib. 49. Oleaſt in Gen. c. 28. Gen. 8. 22. Sen. ep. 108.

fortissimas vorant petras) in Petra Cartusiensi, aliquid volubilitatis impressere, vel ab eius soliditate quidquam abstulerunt. Ob suamq; fortitudinem, non quasi petra vilis, vel abiectus lapis ęstimanda est Magna Cartusia parvi, sed magni, veluti *lapis primarius á Deo eductus, super quem septem oculi sunt*, id est, *septem stellæ Cœlatæ*, iuxta doctissimi Pradi intelligentiam. Siquidem septem Patres nostri totidem stellis figurati in lapide Cartusiano sculpti fuerunt. *Ad quem lapidem vivum accedentes, ipsi tanquam lapides vivi super ædificamini domus spiritualis*: vt sicut tabulæ lapideæ exaratam in vobis Cartusianam legem nobis publiceris, & lapidem Lydium adumbrantes signo iterato probetis, an virtutum aurum obrizum, quo antiquitus Cartusianus ditabatur Ordo, in argentum, vel ęs degeneravit Quapropter ad amusim applicate lapidē, non ad lapidem amusim, & omnem movete lapidem ne fortè nobis cōtingat, quod statuæ Nabucodonosor à capite aureo in diversa metalla rüenti, & postea cōtritæ, ac in favillam misere redactæ. Istud enim præcipitanter, & physicè ab incunabulis nostra operatur natura, de qua Veleius Paterculus testatur. *A rectis in vitia, á vitiis in prava, á pravis in præcipitia pervenit.* Quod etiam in diebus suis, his Seneca plangebat lamentis. *Meliora prætervolant, deteriora succedunt. Quemadmodum ex amphora primúm quod sincerissimum est effluit, grauissimū quodq; turbidumq; subsidit: sic in ætate nostra, quod est optimum primum est.* Mementote dierum antiquorum, Patres integerrimi, ne fortè qui spiritu cœpimus, carne consumamur: & quia iuxta Philosophi doctrinam: *Acres in principio franguntur in fine.* Humeros

Zach. 4. 7. & 3. 9.
Prad. apud Cor. á Lap. in c. 3. Zach. vers. 9.
1. Pet. 2. 5.
Dan. 2. 32.
Velei. c. 1.
Sen. ep. 109.

meros apponite vestros, & studio accuratissimo
Hor. in arte, vers. 21. contendite, ne irrideamur à Flacco *Si amphora instituta currente rota terminetur in vrceum.* Cogitate dies antiquos, nam dolente Gratiano, vel potius
Cap. ridiculum 12. dist. Nicolao Pontifice: *Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitùs à Patribus suscepimus infringi patiamur.*

Scientibus loquor, & ideo in paucis subsisto. Sed quia totius Ordinis Cartusiensis anima posita est in manibus vestris, estote, obsecro vnanimes: quoniam ex divisione desolatio, & mors; ex
Oseæ 10. 2. vnitate multiplicatio, & vita procedunt. *Divisum*
Isaiæ 51. 2. *est cor corũ, nunc interibunt. Vnum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eũ.* Quod si lapides ex Cartusiani mõtis latomia estis dolati, lapides exprimite illos, quos Sãctus Patriarcha Iacob capiti supposuit suo, qui licet multi ante somnũ, somno expleto vnum tantũ lapidem invenisse Iacob, multi opinantur Rabbini, hæc sacræ Scripturæ verba
Gen. 28. vers. 11. & vers 18. concordantes. *Tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo dormivit in eodem loco. Surgens Iacob mane tulit lapidẽ, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum.* Si post Solis occubitum lapides supposuit, quomodo mane lapidem suppositũ enarratur. Sanctus Chrysostomus ait: *Lapides accepit,*
Chry. ho. 54. in Gen. col. 4. *& posuit ad caput suum.* Tres lapides Iacob tulisse autumant Rabbini apud Lyram, qui eorum opinioni non sine formidine applaudens, hac pia interpretatione ligaturam discriminis dissolvit *Hoc*
Ly. in c. 28. Gen. *fuit in signum vnitatis essentiæ in Deo, & Trinitatis Personarum.* Optima interpretatio: sed ad rem nostrã, etiam optime dicetur plurimos lapides in vnum esse cõversos, vt omnibus notum sit; quod quãdo

in domo Dei (quem ibi vidit Iacob) habitant multi:, ita debent esse vinculo dilectionis cõnexi, vt hoc illis quadret eloquiũ, quo Sanctus Lucas discipulos Christi celebravit, *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Gen. 28. 17. Act. 4. 32.

Petrę autem, de qua præcisi estis, per honorifici Patres, si simulacrum apprime elaboratum vultis esse, & apparere in Magno Cartusianorum Senatu, iudicum Sede fungentes, sic in iustitia vestras iustificate sentẽtias, vt digni sitis gaudere hoc honorabili encomio: *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum*: nam iuncti petræ (Cartusiæ Magnæ, Magnę Cartusiæ) proculdubio absorpti eritis in solid tate nostri Ordinis affectãda, iuxta Bernardi mellifluí placitum dicentis: *Absorpti plane in affectum iustitiæ, & petræ soliditatem, cui iuncti sunt imitantes. Tu ne putes flexibile quidquam inveniendum in iudicibus iunctis petræ. Qui adhæret Deo vnus spiritus est, & qui petræ iungitur, lapis vnus.* Ps. 140. 6. Ber. serm. 8. in Psal. 90.

Attendite ad petram, vnde excisi estis: Syriaca lectio vertit: *Cernite montem ex quo excisi estis.* Istum videlicet Cartusię Magnę montem, locum horroris, & vastæ solitudinis, lyceis corporis, & animę oculis Patres, conspicite horridum, formidabilem, inaccessum, hispidis aspectibus suis, austerissimæ professionis nostræ lineamentum nõ imperfecte ostentantem. Quia sicut in petra propter soliditatem, ita & in monte propter altitudinem perfectionis, vita Cartusiana optimo iure adumbratur. *Montes excelsi cervis. Cervi* (fatur Augustini lingua) *Cervi sunt magni spirituales transcendentes incursu omnia spinosa: hi sunt alti montes: cogitãt enim sublimia, tenent eminentia, iustificantur in summis.* Glos. ordin. in Ps. 103. vers. 18.

Quid melius pro Cartusia? Nil pulchrius Ex quo consequenter elicitur; si montes excelsi cervis, cervi montibus excelsis. Et ideo speciem cõtemplationis, quã Cartusia profitetur, & cervi effingunt, & montes. Nec cuilibet monti Cartusia assimilanda est, sed Olympo nullis vnquam nubibus fuscatis obumbrato. Nec *montibus Gelboe, vbi ceciderunt robusti*; Cartusia est conferenda, sed monti Ephraim sic depicto à Sancto Gregorio Papa, quasi si magnã pingeret Cartusiam. *Quis est enim mons Ephraim nisi Cœlum? Mons quippe est frugifer, qui æternæ pulchritudinis flores, & fructus indeficientis gaudij semper profert.* Nec montibus non defluentibus à facie Dei comparanda est Cartusia, sed *monti Dei coagulato, & pingui, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.*

2.*Reg.* 1.27.
*Greg.lib.*1. *Reg.c.*1.

Vtrum vero pars vniuscuiusq; nostrum monti Cartusiæ assimiletur, apertè constabit, si horridis cilicijs, formidabilibus abstinentijs, inaccessis solitudinibus vacamus. Nulla enim conventio ciliciorum ad delicias, nec ambobus indutus placet Deo præcipienti *Veste quæ ex duabus texta est non indueris.* Epulis palato gratis, & panibus lachrymarum vinculũ societatis nemo adstringet: quia Hieronymo annuente: *Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiunijs disputat.* Amicitias inter asperas deserti vias, & planas civitatum plateas quis inveniet? fatente David: *Quoniam non cognovi litteraturam introibo in potentias Domini.* Aliæ litteræ pro *litteratura* legunt *numeros, & negotiationes*, quæ mercatores, & huius farinæ panes sæculi labentis filij *nocturna versantes manu, versantes diurna*, rebus ipsis perituris obruti, & oculos suos declinantes in terram,

Levit. 19. *vers.* 19.
Hier. epist. ad Nepotian. post med.
Ps. 70. 16.
Glo.interlin.
Aug. Caiet.
Hor. in arte poet. post med.

terram, Cœlum insalutatum relinquunt. Quia quælibet caduca negotiatio: quilibet terrenorum tumultus: quodlibet studium perturbatū obicem fortissimum figit introeundi in potentias Domini, in potentias contemplationis, in potentias montium stillantium dulcedinem. Nam festive Chrysostomo taxante: *Nemo potest in valle stare, & de monte loqui.* *Chrys. in Mat. hom. 9. com. 2.*

Deniq; quia in iudicio Sancti Ambrosij *plus est quod probatur aspectu, quam quod sermone laudatur,* & Lyricorum Principe canente. *Amb. in Exae. lib. 1. c. 9.*

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus. *Hor. in arte, vers. 180.*

Et ne prçterita recēsendo vestra morer tempora: *Attendite ad Abraham patrem vestrum.* Attendite ad Abraham patrem vestrum, multarum gentium patrem hic sedentium, ac prolis Cartusiensis dilatatæ, ac dilatandæ in mille millia gerentium obedientiam, & vocem. Attēdite (obsecro) ad Reverendissimum Patrem nostrum, & in eo heremitici rigoris acre simulacrum aspicite; Sophiæ in abscondito divini numinis reconditç micantem collaudate splendorem. *Prudentem eloquij mystici,* specimenq; istius salutate: & Cartusianæ antiquitatis formam intuemini vivam. Ipsumq; contemplamini, quem faustè, & auspicatò *agnum dominatorem nostrum de petra deserti* (de petra Magnæ Cartusiæ) *ad montē filiæ Sion emisit Dominus.* Cuius dominatoris affabilitas tot exūdat deliciis, quòd gratiarum cornucopiæ in manibus portat suis: Cuius charitas tot inflammatur ardoribus, quod nemo est, qui se abscondat à calore eius. Cuius regimen tot elucescit exemplis, quod ipso plan- *Isaiæ 51.* *Isaiæ 3. vers. 3.* *Isaiæ 16.*

 tante,

Amos 3. 8.
Iudic 14. 8.
Amb. in Exae. lib. 5. c. 2.
Greg. ep. 5. lib. 1.
Ps. 68. 3.
Chrys. ho. 15. in epist. 1. ad Tim. Paulo ante med.
Hor. in arte post med.
Apoc. 3.

tantæ & irrigante, tota familia Cartusiana cumulatis triumphat incrementis. Sed quomodo affabilis? Quomodo dulcis? Quomodo agnus est qui nomine Leonis insignitur? *Leo rugiet, quis non timebit?* Attamen Leo noster, quasi iam in se ipso passionibus naturalibus emortuis, velut Samsonis Leo, rugitum Leonis nequaquam producit ex corde; sed favum mellis eructat ex ore. Leonis naturam penetrans Ambrosius ait *Leo terribilis in terra, dulcis in fluctibus.* Et cum iam Cartusianorũ Leo nil terrenum affectet dulcia redolentes affectus nimis exquirit in suæ Prælaturæ fluctibus. Quis in fluctibus nisi Prelatus? Fluctibus (proh dolor) quilibet Prælatus iactatur plangẽte Magno Gregorio, his animi mœsti suspiriis, *Vndiq; causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita vt recte dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Quo in planctu Chrysostomus est audiendus proferens ore aureo, in hac verissima clausula, aliam non contemnendam radicem Gregoriani doloris. *Est enim Prælatus linguis innumeris propositus ad lacerandum: alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius memoriam, alius compositionem in ius trahit.* Qua Chrysostomi censura firmatur, difficultate magna non carere, ita Reipublicæ cõsulere, quod edictũ Prelati, & simul prosit, & placeat. Quo in puncto:

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Igitur etiam atq; etiam dulcis est Reverendissimus Pater noster, sed non vt Angelus Ecclesiæ *Sardis, cui dicitur: Nomen habes quòd viuas, & mortuus es.* Ille quippe vt aliqui volunt vocabatur Melito, ex cuius corde non mel, sed fel effluebat, exprimẽs

Iacobi

Iacobi vocem, manus habens Esau. Cui re vera è regione opponitur Reverendissimus Pater noster, nam Melito, qui suo nomine grato dulcissimum panem promittebat, lapides dabat duros. Sed Reverendissimus Pater noster dum truculento nomine Leonis propinat quidquid sævitię Leoni insitum est à natura: ita suum terroris nomen Lenocinio tẽperat amoris, & agni mansuetudine mollit, quod nostris diebus (O, stupendum miraculum! *Leo simul, & ovis fortunatè morantur in Leone.* Et si forte Leonis vngue curva sanguinis guttam elicit: astante misericordia, statim extensa manu ruptę medetur venæ. *Isaiæ* 11.6.

Demũ in hoc assumpto pressè loquens vtens; Laconysmo, si naturæ, & gratiæ alias quam plurimas dotes quibus Reverendissimus Pater noster illustratur, non referens, Zachei vestem artubus aptavi Golię: consultó feci, nam ex vmbra statuam laudibus efferre, & ex vngue decrevi tãtum laudare Leonem: *Quem laudant in portis opera eius:* quoniam ipsa sua innata & nota excellentia, ita optimi Oratoris habent linguam genuinum nitorem in eminẽtia virtutum prædicantis, quod ore pleno cum Chrysostomo Apostolum laudante, iterum, atq; iterũ dico: *Leonem profectò imprudens ex vngue descripsi.* Et prius amplissimi Patres, quam lingua mea adhæreat faucibus meis, iam nimirum ea, nec verbis vitam prebere, nec voci, spiritũ valeo: siquidem ingenua timiditate verecundor Reverendissimi Patris nostri cor nobilissimum cædens. Quoniam Chrysostomo augurante, *Vir bonus, & sapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde:* audite hęc Iustiniani Impera- *Prov.* 31. *vers.* 31. *Chrys. ho* 4 *in ep.* 2. *ad Tim. in moral. col.* 2. *Chry to.* 2. *ho.* 54. *in Mat c.* 25. *col.* 4. *lit.* C.

toris

toris verba, quæ me ad dicenda pauca, quæ dixi compulerunt. *Iustissimos, & vigilantissimos iudices publicis acclamationibus collaudandi omnibus damus potestatem.* Vos autem Patres ornatissimi, qui me prompsistis in Scenã, & humeris Pygmæi Athlãticum onus imposuistis: *Ignoscite mihi: nam factus insipiens vos me coegistis.* Et vt Ordinis Cartusiensis finis, suo consonet, & adæquetur principio: *Inspicite, & facite secundum exemplar, quod vobis in monte monstratum est.*

L. 3. C. de offi. rec. Provin. tit. 44.

2. Cor. 12. vers. 11.

Exo. 25. vers. 40.

Dixi.